

Letter 171: End of September 1523, Strasbourg, Anton Firm to Capito

The manuscript of the present letter is lost. The text comes from a transcript in the Thesaurus Baumianus, II, 34.

5 W. Capitoni S. D. Praescribe, quaeso, mihi formam quomodo vis huic seni delyro ad suam
stultam quaestionem et ad id quod de te scribit respondere debeam. Non putassem tam stupidum
esse Winpf. quod aliquid referre putat qua lingua dominica coena repraesentetur, quasi Christus
id faciendum iusserit latina vel graeca lingua. Imo vero plurimum refert quia ea lingua fieri debet
10 quam populus intelligere potest. Dolorem magnum circa pectus continuo habeo, omni momento
expuere oportet, decrevi nihil velle amplius commedere quousque viscositas haec in stomacho
vel in orificio stomachi consumetur. Noctu nihil dormio. Tumor tiliarum nondum abiit, caput
forte ex continua vigilia omnino invalidum est, totum corpus debile, sed faciat dominus cum luto
suo et misera creatura quicquid placitum fuerit, modo et patientiam conferat atque cor confirmet
10 spe futurae gloriae. D. Iacobus Schütz petit ut Latomus ad se veniat. Mitte, quaeso, Reinboldum
tuum ad eum, cupit eum promovere ad aliquam parrochiam. Vale. A. F.